

✻ { 8 } ✻

illa obfignata olim esse, quae omni vitio caruerint, et victimis omnium maxime idonea iudicata fuerint; deinde vero; animalia obfignata, vere Deorum Numini dedicata fuisse, et obfignationis eandem fuisse in sacris notionem quae dedicationis seu consecrationis victimarum.

§. 5.

Notione itaque obfignationis ex antiquitate eruta, Messiae obfignationem duo imprimis comprehendere colligimus. Primum est, Messiam a Deo iudicatum esse ab omni vitio et labe immunem, et virtutibus, quas sacrificium pro universo genere humano offerendum habere debuit, ut scilicet eius immolatione Deo plene satisfieri posset, ornatum fuisse; alterum vero, Messiam his characteribus insignitum, vere dedicatum esse a Deo, ut sacrificio corporis sui oblato, omnia crimina humani generis perfecte absoluteque expiaret. Characteres, quibus Messias insignitus atque sigillo quasi Dei obfignatus fuit, duo sunt, ἀναμαρτησία et πλήρωμα τῆς Θεότητος. In hostia, quae obfignari olim debuit, nullum deprehendi debuit vitium, quo immolationi ineptum reddebatur. In Messia absolutissima adest ἀναμαρτησία, sive ea naturae humanae conditio, quae ab omni vitio liberrima est. Nullo enim vitio ex contaminata hominum natura inquinatus est, sed caro, quam in utero matris assumpsit, a Spiritu S. purgata est atque sanctissima effecta Luc. I, 35. Neque etiam crimine quodam, ne levissimo quidem, commisso innocentiam perdidit, omnes enim, et infensissimos quoque hostes ad exprobandum sibi, si quod noverint, crimen provocat Ioh. VIII, 46. hominibusque se talem probavit, qualem divini vates futurum praedixerant, Es. LIII, 9. Daniel. IX, 24. Ob eamque causam alter fuit

Ada